



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Phocas M. 22. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

buisset. Et annuit etiam huic Maximianus, in hoc uno adversus Christi cultores liberalis. Et profecto in nullis puto canis tam pulchrè vel sanguis rubuit, vel laurus viruit. Ex Surio.

*Solerter animus ante actionis suæ primordia cuncta debet aduersa meditari; ut semper hæc cogitans, semper contra hæc thorace patientiæ munitus, & quidquid acciderit, providus supererit; & quidquid non accesserit, lucrum putet. S. Greg. s. Mor.*

S. P H O C A S M. 22. Septembris.

Hortum PHOCAS dum vixit, coluit. Horti pulcherrimam rosam ipsum non malè horti cultorem dixerō, tunc præcipue, ubi suo se sanguinerigavit. Cæterum patria illi Sinope fuit, ferax olim philosophorum urbs: quibus quidem omnibus vel opum vel mortis contemptu certavit olitor noster. Etenim quidquid hortus ferebat, prudentius P H O C A S in miseros hospitesque, quam ille olim in mare abjecit. Jam verò pro Christo moriens haud paulò elegantius Christianæ philosophiæ sanguine, quam nostrates philosophi atramento, subscrispsit. Sed audite vos qui fortiter declamatis, molliter morimini, in lectulis & mensis sapientes. Adsunt spiculatores, qui P H O C A M ad gladium quærunt. Tecto, mensā hic ipse excipit, & hospitalitatis tesseram securus cum hostibus communicat. Interea quærunt hi quis P H O C A S? ubi agat? quibus consiliis capi, necari possit? Nimirum ait PHOCAS, hunc nulli æquè ac sibi notum, nec longè abesse, & verò postero die traditurum se P H O C A M sine turbis in manus ipsorum. Interim tumulum sibi parat suus pridie vespillo, postridie proditor. Cohorruere satelli-

tes, & Jovem hospitalem reveriti, manus hospitum sui sanguine lavare reformidarunt. Sed ille nullam aliam symbolam quam cædem suam oravit. Accepit ergo hanc, & tumulo suo est conditus. Noverat jam, noverat resurgere flores terrâ obtrutos. Ex Surio.

*Stude cognoscere te ; quia multò melior & laudabilior es, si te cognoscis, quam si, te neglecto, cognoscere cursum siderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, & haberes omnium celestium & terrestrium sapientiam. S.Bern.l.Med.c.5.*

S. EMMERANUS M. & P. 22. Septembbris.

**O**rtum hoc sidus in Aquitaniâ est : luxit diu Bojariæ, sed numquam clarius, quam cum occidit. Res in hunc modum gesta. Uta Theodonis IV. Bojorum Ducis filia, dum stupri consuetudinem cum Sigebaldo juvete cætera nobilitatibus habet, ecce uterus intumescens scelus prodit; ipsa EMMERANO, dum patrem eum dicit, mortem parit. Landbertus enim Utæ germanus scalarum radiis illigato manuum pedumque digitos, aures item naresque & quæ natura velavit, articulatum omnia præfecat, eruit oculos, linguam denique stirpitus avellit. Sed etiam sine hac cum loquetur EMMERANVS, quid aliud loquebatur, quam innocentem se mori? Quid? terra & illa quæ sanguinis imbres biberat, & illa quæ tumulum prima dederat, numquam non virenti cespite lata aër, qui ipsos XL. dies nefas flevit, quod homofecerat; undæ Danubii & ipsæ cæli lacrimis exundantes; lampadum ignes, qui in eâ pompâ, quæ Ratisponam sacra lipsana advecta sunt, inter omnes ventos pluviasque pertinaciter emicabant;

mirabilis